



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

141. De alia discipula S. Vvillibrordi Amelberga.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

## DISSERTATIO CXLI.

De alia discipula Sancti Willibrordi  
Amelberga.



Ræcinuit David de Christo eiusque Ecclesia; *Adducentur Regi virgines post eam, proxima eius adferentur tibi.*

Factum est id primo per Apostolos, deinde per successores. Factum modo per S. Willibrordum æterni Regis ministrum. Adduxit Harlingam, Relindem, non duas tantum, sed quotquot eis fuerunt consociatæ. Adduxit S. Amelbergam tamquam Reginam in vestitu deaurato circumamictam varietate. Nascitur ea Christianissimis parentibus in tractu Ardenensi. Breui viroque orbata parente iussu, consilio & instructione S. Willibrordi destinatur ad S. Landradam Belisensis monasterij Abbatissam cunctis virtutum monilibus cælesti sponso adornanda. Incumbit in eius cultum impense Landrada: illa nil segnius damnato omni otio noctes diesque addiscere, Orationibus, virtutum exercitijs instare, corpus, animumque arcta custodia compescere, soli Christo reservare. Post transactos iuveniles non inueniliter annos sacra mitella (velo) à S. Willibrordo accepta, Temsecam peculium suum (est hodie insignis & celebris Pagus ad oram Scaldis sub Comitatu Flandriæ) se conferens, Ecclesiam Deiparæ extruxit, secus quam constituta sibi cellula Deo vsque ad extremos ætatibus



tis annos indefinenter deseruiuit, interea instructione, consilio, exhortatione S. Willibrordi vsa. Adeo casti propositi tenax vt Carolus Martellus potentissimus & gloriosissimus Princeps eam in matrimonium nequidquā requirens vi abripere conatus brachium reluctanti cōfregit, prout memorant Historiæ.

De hac Amelberga confirmat & hæc addit Antonius Sanderus in suo Hagiologio Flandriæ:

*Belisia à S. Landrada Pijis moribus institutam fuisse tradunt, diu vixit ac demum anno 772. obiit in sui iuris villa Tamisia seu Temsaca ad Scaldim in diocesi Gandensi & agro Wasiano, ubi hodieq; tumulus eius ostenditur. Corpus virginicum Balduinus ferreus Flandria Comes anno 890. ad Blandiniense monasterium transtulit. Venit autem, inquit Molanus, consilio S. Willibrordi Belisiam, uti istic à D. Landrada quæ monasterio istic præerat, in pietate formaretur. Brachij eius os confregisse putatur Carolus Martellus Princeps, ut eam sibi caperet sponsam quam etiam plane cepisset uxorem, nisi pudicitia virginialis de eo triumphans penitus obstitisset. Migravit ad Dominum anno 772. aut circiter. Scribit Massens cives Gandauenses ( tanta ipsi olim venerationi & merito fuit ) una cum Wilhelmo Episcopo Tarnacensi diem festum sibi instituisse anno 1331. In monte Blandinio autem frequentior eius fuit memoria, unde in Martyrologio legitur: Sexto Kal. Nouembris in Blandinio Aduentus Corporis Sanctissimæ Virginis Christi Amelberga. Decimo tertio Kal. Junij: In Blandinio monasterio translatio Corporis Sanctissimæ Virginis Amelberga. In picturis pedem ut Abbatissa, quandoq; etiam palmam ceu virgo, gestat; sub pedibus piscem habet vulgo sturionem dictum quem alij accipenserem vocant. His enim piscibus nauem comitantibus, fertur corpus eius diuino nutu, aduerso flumine vectum esse. vitam eius Scripsit Radbodus Ultraiectinus Episcopus numero X IV. ex regia Frisiorum ac Francorum stirpe, vir Spiritu prophetico clarus. Scripsit & eandem Theodoricus*  
Abbas



*Abbas ad S. Trudonem Ord. Benedicti in diœcesi Leodiensi ex monacho Blandiniensi, ut rectè notavit Valerius Andreas in Bibliotheca Belgarum. Hæc Sanderus.*

Scripſiſſe vitam S. Amelbergæ Radbodum Episcopum teſtatur & Heda in Radbodo Vltr. Episcopo 14. in-  
quiens: *Scripſi autem (Radbodus) nonnulla præclara opuscula, de quibus iſta feruntur: Laudes S. Martini lib. 3. laudes S. Bonif. Episcopi lib. 1. De S. Amelberga lib. 1. Homiliarium & Sermonum lib.* Nec puto ex alio motivo id præſtitiffe Radbodum quã quod S. Willib. discipula fuerit & ad S. Willib. gloriam pertineret.

Si quæras, quo anno quove tempore S. Amelberga directa ſit Belſiam ad S. Landradam à S. Willibrordo, Reſp. Hoc debuiſſe accidiffe antè annum 696. quo alij, ſive antè annum 698. quo alij S. Lamberrum Martyriſatum aſſerunt; nam ante S. Lambertum terras deſeruiſſe & per eundem ſepulturæ traditam fuiſſe, affirmant omnes hiftoriæ Landradinæ.

Ac ut quid propinquius calculemus, iuxta Molanum Landradam obiit annum circiter 792. Quo poſito, Amelberga miſſa eſt ad eam à S. Willibrordo in primo ipſius ingreſſu in Auſtraſiam, dum vel Romam pergens vel Romam rediens apud Pipinum Auſtraſiæ Principem de negotijs ad Friſiorum conuerſionem pertinentibus tractaret.

DISSERT